1791

b.r. ~~(1789)~~

Żuchowski ks. Marcin

Bonorum civium, amantium patriae ... &c. Felici Paulo Turski principem regni episcopatum ascendenti.

Dobrych obywateli .... &c F. P. Turski &c.

BONORUM. CIVIUM.

AMANTIUM. PATRIAE. ET ECCLESIAE. PRAELATORUM.

EXCELSO. DUCI.

FELICI. PAULO. ROGALA.

T. U R S K I.

INSIGNIS. ORDINIS. AQUILAE. ALBAE. EQUITI.

PRINCIPEM. REGNI. EPISCOPATUM. CRACOVIAE.

TUM SEVERIAE. DUCATUM.

ASCENDENTI

C. Martinus Żuchowski,

Canonicus Hierosolymitanus,

alludit ex Galicia.

Nihil est in rebus humanis praeclarius, quam de Republica bene mereri.

Cic. ad Planc.

Te primum pia tura rogent, te voce salutent:

Purpura te felix, te colat omnis honos.

Martial. Lib. IIX. Epigram. VIII. ad Janum.

ÆPIGRAMMA.

Panditur immensis celebris tibi porta triumphis: (1)
Summaque Pontifici limina sacra patent.
Alta coronati fulgent tibi templa Vavellis,
Tumbaque martyrio murice sparsa tumet! (2)
Pantheon ascendis Regum! (3) mox pone penates
Ampla trophaea gravi Praesule digna refers.
Infula te Craci redimit: tibi prima sacerdos
Tura cremat: populo vota ruente fluunt!

(1) Regia arx Cracoviae cum Templo suo Cathedratico.

(2) Divi Stanislai sepulcrum.

(3) Omnium fermè orthodoxorum Poloniae Regum arae; monumenta, atque delubra.

Trina corona (4) Patrem primum te prona salutat,
Turscia cum sceptris qui simul arma locas.
Te proceres, festique viri, castrense theatrum,
Vulgus, & aula Ducem Regia tota sonant!
Felicem te plectra canunt, felicem rostra perorant:
Grande viri meritum pangit utrumque forum.
Pontificum tibi dextra cruces, tiarasque ministrat:
Exuberant violis stalla referta novis. (5)
Cuncta nitent circum niveis altaria vittis:
Paestanas redolent busta superba (6) rosas.
Undique fragrantes spatiatur fama per arcus:
Volvuntur festis gaudia nixa rotis.

Amplius

---

(4) Capitulum Canonicorum Cathedralium.

(5) Idem Capitulum seminarium Episcoporum vulgo dictum.

(6) Regum, et Reginarum, Poloniae, tum Cracoviae Episcoporum, mausolea.

Amplius excelso nihil eſt, quod desit honori:
Purpura Romanae te tegat urbis apex. (7)
Di! servate Patrem patriae, fideique Miniſtrum
Felicem! Regni publica tura rogant. (8)

---

(7) Auguſto pia tura, victimasque
Pro noſtro date Silio Camenae:
Bis senos jubet en redire fasces,
Nato consule, nobilique virga
Vatis Caſtaliam domum sonare.
. . . .
Gaudenti supereſt adhuc, quod optet,
Felix purpura . . . . . .

Martial. Lib. IIX. Epigram. LXVI. de Consulatu Silii.

(8) Dat populus, dat gratus eques, dat tura senatus.

Idem Lib. eodem. Epigram. XV. ad Domitianum.

Majores

Majores majora sonent: mihi parva locuto

Sufficit, * in magni Praesulis esse manu.

* Martial. Lib. IX. Epigram. I. ad Avitum.